

QUAESTIONES JURIDICAE INAUGURALES,

QUAS,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate RECTORIS MAGNIFICI

HENR. WILH. TYDEMAN,

Jur. Utr. Doct., Juris Civilis & Hodierni Professoris Ordinarii,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ADSTIPULANTE NOBILISSIMA FACULTATE JURIDICA,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN UTROQUE JURE HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

Eruditorum Examini submittit

CORNELIUS JACOBUS VAN *ASSEN,*

HARLINGA-FRISIUS.

A. D. XIV *Septembris* MDCCCX. *H. L. Q. S.*

FRANEQUERAE,

Apud D. ROMAR, Typographum.

MDCCCX.



PARENTIBUS
SACRUM.

O fallacem hominum ſpem, fragilemque fortunam & inanes nostras contentiones! quæ in medio ſpatio ſæpe franguntur, & corruunt, & ante in ipſo curſu obruuntur, quam portum conſpicere potuerunt.

CICERO.



QUÆSTIONES JURIDICÆ INAUGURALES.



I.

Gravisſima eſt illa de teſtamentorum jure quæſtio, quam CICERO memorat *de Orat. Lib.* I: 38. Nimirum, cum de militis cujusdam morte domum falſus ab exercitu nuntius veniſſet, & pater ejus, re credita, teſtamentum mutasſet, & quem ei viſum esſet, fecisſet heredem, esſetque ipſe mortuus: res delata eſt ad Centumviros, cum miles domum revenisſet, egisſetque lege in hereditatem paternam, atque in ea causſa quæſitum eſt de jure civili, posſetne exheres esſe filius, quem pater teſtamento neque heredem, neque exheredem ſcripſisſet

fisſet

ſisſet nominatim? —— In hac igitur cauſſa graviſſima, etſi miles in teſtamento heres non esſet ſcriptus, reſpondendum tamen arbitror, *non posſe:* teſtatoris enim voluntas verbis in teſtamento ſcriptis potior eſt habenda, quæ qualis hic fuerit, ad conjectandum non eſt difficile; quem enim quæſo heredem pater, niſi falſum accepisſet ab exercitu nuntium, potius quam filium inſtituisſet?

In ſimillimam autem incidi quæſtionem in L. 28. D. *de Inoff. test.* obviam; qua de cauſſa cum ad HADRIANUM Imperatorem itum esſet, reſpondit hic, hereditatem matris ad filium quidem illam pertinere, legata autem & libertates esſe præſtanda. Hoc igitur teſtamentum item ex conjectura, quam de materna voluntate & pietate fecerat Imperator, diremtum, non vero tamquam inofficioſum reſcisſum eſt, id, quod ex iusſu Imperatoris de legatorum & libertatum præſtatione facile adparet. Ex iis enim teſtamentis, quæ propter Inofficioſi querelam reſcinduntur, nihil prorſus, jure quidem Pandectarum, aut valebat aut debebatur. Atque hac fere ratione iſta lex, quæ vulgo inter cruces Ictorum refertur, explananda mihi videtur.

II. Haud

II.

Haud mediocris item quæſtio eſt apud CICERONEM *ibidem cap.* 40. propoſita: Paterfamilias quidam cum ex Hispania Romam venisſet, & uxorem prægnantem in provincia reliquisſet, Romæque alteram duxisſet, neque nuntium priori remiſisſet, mortuusque esſet inteſtato, & ex utraque filius natus esſet, quæſitum eſt de duobus civium capitibus, & de puero, qui ex poſteriore natus erat, & de ejus matre. — In qua quæſtione bona patris inteſtato mortui pertinere nobis videntur ad filium ex priori matrimonio ſusceptum. Nam cum divortium non novis fiat nuptiis, ſed certis quibusdam verbis, uti recte CICERO animadvertit, mulier, quam Romæ duxit, in concubinae locum ducta eſt, natusque ex illa concubina filius, cum legitima proles adesſet, patris naturalis bona adquirere ſibi non potuit.

III.

Inſignis etiam eſt ea *reticentiæ in emendo-vendendo* causſa, quae duobus a CICERONE locis profertur *de Orat. L.* I: 39. & *de Offic.* III: 16. M. MARIUS GRATIDIANUS C. SERGIO ORATÆ vendiderat aedes eas, quas ab eo-

dem ipſe paucis ante annis emerat. Eæ ſerviebant: ſed hoc in Mancipio MARIUS non dixerat. Adducta res in judicium eſt. ORATAM CRASSUS, GRATIDIANUM defendebat ANTONIUS. Jus CRASSUS urgebat, quod vitii venditor non dixisſet ſciens, id oportere præſtari: æquitatem ANTONIUS, quoniam id vitium ignotum SERGIO non fuisſet, qui illas aedes vendidisſet, nihil fuisſe necesſe dici: nec eum esſe deceptum, qui id, quod emerat, quo jure esſet, teneret. Dubius equidem ſum in hacce difficili quæſtione, utri eorum *jure Pandectarum* causſa fuerit addicenda. Habuit enim ab utraque parte maximam æquitatis ſpeciem. GRATIDIANUS quidem in jure peccavit, quod, cum ædes vendidisſet, ſervire quandam earum partem in mancipii lege non dixit. Quid vero, ſi illud idcirco omiſit, quod ORATÆ bene hoc cognitum esſe intelligeret? Sanctum quidem eſt lege 61. D. *de Ædilitio Edict. quotiens de ſervitute agitur, victus tantum debet præſtare, quanti minoris emisſet emtor, ſi ſcisſet hanc ſervitutem impoſitam.* Quî autem potuit ORATA hac lege uti? nam, quo tempore aedes a GRATIDIANO emit, ſervitutem bene novit iis ædibus esſe impoſitam, quas ipſe paucis ante annis GRATIDIANO vendiderat. Quapropter, niſi doloſe egerit,

rit, GRATIDIANI caussa mihi potior fuisse videtur. —

IV.

Erat Romæ Edictum quoddam Ædilitium, secundum quod, nisi omnia in mancipio vendendo latentia corporis vitia a venditore dicta essent, actio dabatur aut redhibitoria aut æstimatoria. Quærit igitur CICERO *de Offic.* III. 23 dicendane a viro bono etiam ea vitia sint, quæ Edicto non continentur, veluti: mendacem esse servum, aleatorem, furacem, ebriosum. ANTIPATER Philosophus Stoicus ait: DIOGENES item Stoicus non necesse putat. In quo controverso Stoicorum jure ANTIPATRO assentiendum arbitror; & recte omnino, ut videtur mihi, in *L.* 19. § 1. D. *de Ædil. Edict.* adjectum fuit, venditorem, mancipii laudes prædicantem, eas etiam præstare oportere. —

V.

Dubitatum aliquando fuit, uti adparet ex Lege *ult.* C. *de neg. gest.*, num actio negotiorum gestorum contraria illi etiam sit concedenda, qui, vetante & prohibente domino, gesserit. Adfirmarunt *Proculeiani*, negarunt vero

Sabiniani, conf. ECKHARDI *Hermeneut. Jur. p.* 333, atque ab horum partibus nobis quoque ſtandum videtur.

VI.

Verba Legis 6. D. *de Ritu Nupt.* hæcce: *eum, qui abſens accepit uxorem, dein rediens a cœna juxta Tiberim perisſet, ab uxore lugendum reſponſum eſt*, ſine controverſia vitio laborant. Videtur autem nobis, pro *periſſet* ſcribendum esſe *periit et*, ita, ut *et* hic ſignificet *etiam.*

VII.

Jure Romano pater filiam dotare debebat, jure vero Gallico *(art.* 204.) & Hollandico novisſimo *(art.* 277.) non item. Num vero ſatis prudenter hoc loco juri Romano derogatum ſit, equidem dubito. Nam, ut videtur mihi, hæc conſtitutio 1° nuptiis poteſt esſe impedimento; 2° cum filii plerumque aliquid, quo ſuſtentent ſeſe, addidicerint, æquitas ipſa poſtulat, ut hujusmodi inpenſæ, data filiæ dote, veluti compenſentur; 3° conſentaneum omnino esſe videtur, matrimonii onera æquis, ut dicunt, partibus ſuſtineri, ne, ſi maritus omnia, uxor vero nihil conferat, contentio inde & diſcordia inter conjuges exoriatur.

VIII.

VIII.

In *Cod. Gall. art.* 912 & *Holl. nov. art.* 618. constitutum est, non licere peregrino homini ex Gallorum aut Hollandorum testamento lucri quid capere, nisi item ex ipsius testamento Galli aut Hollandi capere possint.

Duplex autem hic oritur eaque insignis quæstio: quarum altera est, num hæ leges, in quibus testamentorum tantum fit mentio, etiam de successionibus ab intestato sint accipiendæ? altera est, an portio, peregrino relicta, eadem esse debeat, atque ea, quam in eadem caussa peregrinus Gallo aut Hollando relinquere propter leges possit?

Ad utramque quæstionem adfirmando respondendum esse arbitror.

IX.

Prudenter admodum *art.* 463. *Cod. Gall.* & *art.* 362. *Cod. Holl.* vetitum esse videtur, ne tutor pupilli nomine donationes illi oblatas sine familiae (*Jure Gallico*) aut Magistratus (*Jure Holl.*) auctoritate accipiat: potest enim in donationibus aeque, atque in hereditatibus damni aliquid latere. Emendatum igitur est hac in re Jus Romanum, secundum quod in oblatis donatio-

nibus,

nibus ne tutoris quidem, nedum Magiſtratus auctoritate opus erat.

X.

Non posſum, quin MALVILLIO viro gratisſimo asſentiar, cum in opere Gallico: *Analyſe raiſonnée du Code Civil.*, T. I. *pag.* 393. ſeqq. iniquam judicet legem *Codicis Gall.* 384*mam*, qua lege uſusfructus ex propriis liberorum bonis non ad XXI*mum*, ſed tantum ad inpletum usque XVIII*mum* ætatis annum, parentibus tributus est.— Diverſam vero &, ut videtur mihi, meliorem rationem noster legislator ſecutus est, cum uſumfructum quidem ejusmodi bonorum parentibus non concesſerit, ſed administrationem tamen iis, tamquam tutoribus, ad XXIII*tium* usque ætatis annum mandaverit. vid. art. 284. 285.

XI.

Prudenti admodum conſilio *Jure Gall. & Holl.* in communem pupillorum utilitatem tutores ejusmodi conſtituti ſunt, quales Romani *honorarios* dixere (vid. L. 3 § 2. D. *de admin. & peric.* & L. 14. § 1. D. *de Solut.*). Recte autem in *Cod. nostro art.* 318. hoc inſuper fuit adjectum, debere quemcunque tutorem adminiſtratorem quovis anno hujusmodi tutori ſubrogato ſive honorario tutelæ reddere rationes. —

XII.

XII.

Docet nos MALVILLIUS II. p. 179., in articulis *Cod. Gall.* 162. 163. 164. hoc Senatus consulto esse decretum, prohibitas fore nuptias inter fratrem & sororem adfinem, idque absolute; nuptias autem avunculi cum fratris sororisve filia aut materteræ cum filio fratris vel sororis prohibitas quidem illas fore, sed posse tamen quibusdam in caussis ad istas contrahendas veniam a Principe impetrari. Hoc igitur Senatus-consultum, si verum fateri licet, dubito an juris rationi conveniat. Etenim 1° nullum est inter fratrem & sororem affinem aliud, præterquam affinitatis, vinculum; quin immo 2°. hujusmodi nuptiæ, quæ hic absolute proscribuntur, habent, quo se magnopere commendent, si quando ex priori matrimonio liberi nati superstites sint, 3°. in avunculo vero & matertera adest ille parentelæ respectus, uti dicitur, cujus Romani maximam rationem habuere, cui accedit, quod propter cognationem et ætatum plerumque discrimen haud levis turpitudo istiusmodi nuptiis inesse videtur. Quapropter statuo, consentaneum magis esse, veniam istam Principis plane negari in avunculorum et materterarum, quam

quam fratrum & ſororum affinium nuptiis; prout ſancitum est in *Cod. Holl.* art. 106. —

XIII.

Vulgaris quidem est opinio, confirmata illa plerorumque Latinorum ſcriptorum teſtimoniis, populum Romanum intestinas discordias pertaeſum, miſisſe in Græciam, qui inclytas SOLONIS leges deſcriberent. conf. LIVIUS *Hist. L.* III: 31. Verum tamen, ſi poſitis opinionibus præjudicatis, rem ipſam accuratius investigemus, haud contemnenda ſunt, quæ nonnulli inter viros doctos contra hanc traditionem attulerunt, argumenta, quorum ſumma eo redit:

1°. CICERO ipſe, etſi Legum XII Tabb. ſæpiſſime mentionem facit, de legatione tamen petendarum legum cauſſa in Græciam facta, nusquam memorat; quin immo

2°. Exſtat in libris *de Oratore L. I:* 44. locus quidam inſignis, qui, ſi qui alius, opinioni vulgari valde est contrarius: verba ſunt CRASSI, de utilitate juris disſerentis: *Percipietis etiam* (inquit) *illam ex cognitione iuris lætitiam & voluptatem, quod, quantum præſtiterint nostri majores prudentia ceteris* gen-

gentibus, tum facillime intelligetis, si cum illorum Lycurgo, & Dracone, & Solone nostras leges conferre volueritis. Incredibile est enim, quam sit omne jus civile, præter hoc nostrum, inconditum, ac pæne ridiculum: de quo multa soleo in sermonibus quotidianis dicere, cum hominum nostrorum prudentiam ceteris omnibus, & maxime Græcis antepono.

3°. Altum etiam est hac de re apud ipsos scriptores Græcos silentium.

4°. Fuit illis temporibus Romæ HERMODORUS exul Ephesius, magnæ vir doctrinæ, ut videtur, & auctoritatis. Hic igitur, cum Græcorum leges & instituta bene percepta haberet, facillime quædam cum Decemviris potuit communicare; constat enim, magnam hunc apud eos in constituendis legum Tabulis gratiam inivisse. —

XIV.

Inter Romuli, primi Romanorum regis, instituta *tria* feruntur, maxime illa propter Politicam ipsorum prudentiam laudanda;

1°. *Edictum de hostibus bello captis non vendendis, sed in novam urbem traducendis.*

Quo

Quo potisſimum inſtituto factum est, ut brevisſimo tempore Romanorum opes incredibiliter auctæ ſint, & finitimorum quorumque populorum longe ſuperarint.

2°. *Ius Patronatus*, quod erat mutuum officiorum veluti vinculum, quo Patricii & Plebeii ita colligati ſunt, ut diutisſime inter utrumque ordinem concordia ſervata ſit. Plura vidd. apud HEINECCIUM *Antiq. Rom.* L. I. TIT. 2.

3°. *Agrorum colendorum cura.* Vita enim rustica, uti CICERO ait, *Orat. pro S. Roscio Amer.* c. 14., maxime disjuncta a cupiditate est, & cum officio conjuncta. —

XV.

Non asſentior CRASSO Icto illi & oratori excellentisſimo, cum apud CICERONEM *de Orat.* L. I. 44. dicat: *Fremant omnes licet; dicam, quod ſentio: bibliothecas mehercule omnium philoſophorum unus mihi videtur* XII *tabularum libellus, ſi quis legum fontes & capita viderit, & auctoritatis pondere & utilitatis ubertate ſuperare.*

Nam, etſi plures in illis leges utilisſimæ deprehendantur, haud paucae tamen ab inhumanitate & ſuperſtitione illorum temporum profectæ esſe videntur.

XVI.

XVI.

Postquam Patriciorum opera Tarquinius Superbus fuit pulſus, imperii forma, qua Romani deinceps uſi ſunt, non Democratica illa fuit, ſed Ariſtocratica, idque prudenti admodum conſilio. Nam, quod recte animadvertit LEVESQUIUS V. Cl. in *Hist. Crit. de la Repl. Rom. Tom.* I. *p.* 111. ſi effrenatus libertate populus jam tum ſupremam in civitate poteſtatem occupavisſet, optimi quique cives potentiores brevi e medio fuisſent ſublati, & reſpublica ſua ipſa vi interiisſet. —

XVII.

Juriſconſulti Romani Stoicorum Philoſophiæ inprimis fuerunt dediti, & recte quidem: vellem tamen, ut dicam quod ſentio, majorem illi Academicorum & Peripateticorum Philoſophiae rationem habuisſent, Stoicorum enim orationis genus, quod exile fuit, inuſitatum, abhorrens vulgi, ab auribus obſcurum, inane, jejunum, ac totum ejusmodi, quo uti ad vulgus nullo modo posſit, uti CICERO ipſe teſtatur *de Orat.* L. III. 18. nimium quantum ab illis expresſum esſe videtur, contra vero *ex Academicorum & Peripateticorum veterum ſcriptis & inſtitutis cum omnis*

doctrina liberalis, omnis historia, omnis sermo elegans sumi potest, tum varietas est tanta artium, ut nemo sine eo instrumento ad ullam rem illustriorem satis ornatus possit accedere. Cic. *de Fin.* v. 3.

XVIII.

Melius iidem, quod Epicuream istam Philosophandi rationem contemserint, utpote vero Icto minime congruam, quod egregie CICERO docet in Epist. ad TREBATIUM TESTAM Ictum celeberrimum, (Ep. 12. Lib. VII.) quem Epicureum esse factum audiverat — *quònam modo* (inquit) *jus civile defendes, quum omnia tua caussa facias, non civium? ubi porro erit formula fiduciae:* UT INTER BONOS BENE AGIER OPORTET? *quis enim est bonus, qui facit nihil, nisi sua caussa? quod jus statues* COMMUNI DIVIDUNDO, *quum commune nihil possit esse, apud eos, qui omnia voluptate sua metiuntur? quomodo autem tibi placebit* JOVEM LAPIDEM *jurare, quum scias Iovem iratum esse nemini posse? quid porro fiet populo Ulubrano, si tu statueris,* πολιτεύεσθαι *non oportere.*

XIX.

Quapropter vere & egregie utique dixit ER-

NES-

NESTUS in dedicatione præclara opp. Cicer. p. 58. 59. *dignos esse, qui per totam vitam studiose legantur Pythagoreorum, Academicorum, & Peripateticorum libros superstites, quippe quibus ejusmodi Philosophia recondita est, quæ ceteris disciplinis liberalibus arctissime esset conjuncta, contra vero ex Zenonis atque Epicuri verborum opificum Philosophia segregata illa a ceteris humaniorum literarum partibus jejunam & ad vitam parum utilem Philosophiam esse natam.*

XX.

Fundamentum omnium legum, quibus Jus Naturæ continetur, sive principium cognoscendi, in eo positum esse videtur, quod actiones quisque suas ita regere debeat, ut perfecta ceterorum hominum jura earum exercitio non laedantur. Atque hinc facile intelligitur, cujusmodi sit doctrina HOBBESII qui justum natura ab injusto distingui negavit, statuitque, licere cuique, nulla habita alicujus hominis ratione, facere quodcunque libuerit, modo persuasum sibi habeat, esse illud ad beate vivendum sibi necessarium.

XXI.

Diversae sunt invicem virorum doctorum de

Poenarum origine ſententiae, dubitant enim, utrum a jure naturae, an a pacto, an ab ipſa demum imperii notione illae profectae ſint, quod ad primam attinet ſententiam, displicet illa nobis idcirco, quod ſecundum Juris Naturae principia, propter communem illam omnium hominum aequalitatem, poena alteri ab altero infligi non posſit, 'ſed damni tantum reparationi locus ſit. Ad postremam autem ſententiam, quo minus accedamus, obſtat, quod equidem non video, quare non imperii notio ſine legum poenalium ferendarum jure in animis nostris informari posſit. Restat igitur illorum ſententia, qui poenas a pacto profectas esſe arbitrentur, maxime illa nobis probabilis; quid enim vero videtur esſe ſimilius, quam homines cum in ſocietates ſe contulisſent, in id convenisſe, ut injuriae deinceps ab inprobis hominibus illatae non modo repararentur, ſed etiam, quo quisque in civitate tutior ésſet, ita vindicarentur, ut poenae metu a flagitiis deterrerentur inprobi?

XXII.

Etſi negant Hobbesius & Puffendorfius, est tamen *naturalis* quaedam inaequalitas, quae ab educationis obligatione, ceterisque inter

ter parentes & liberos necesſitudinibus proficiscitur.

XXIII.

Recte Cl. Pestelius in *Fundam. Jurisprud. Nat. p.* 803 ait: *illæ leges de criminibus ſunt optimæ, quæ nullo aut minimo innocentium periculo, & leviſſimo ſontium malo neceſſaria ad ſecuritatem & proſperitatem publicam inſtituta ſanciunt.*

XXIV.

Saepe mirari ſubit, in plerisque patriae nostrae regionibus publica auctoritate conſtitutos esſe, qui criminis ſuspectos reos facerent, defenſionem vero reorum aut junioribus committi causſarum patronis rerum forenſium nondum ſatis peritis, aut ſenioribus quidem, ſed iis, propter varias muneris occupationes, nimis diſtrictis. Vellem igitur, publicos eligi defenſores, qui ad ſolam reorum defenſionem ſumma cura animum intenderent, neque alius generis negotiis ab egregio hoc & humaniſſimo munere abduci ſe paterentur.

XXV.

Etſi tanta est Corporis Juris Romani præſtantia, ut nullis obtrectatorum criminationibus la-

labefactari illud possit, negari tamen ab aequis rerum arbitris non potest, Libros XLVII & XLVIII terribiles vulgo dictos, Juri Criminali addiscendo nequaquam sufficere. Pleraeque enim Leges Corneliae, Juliae, aliae, in constituendis poenis, temporum magis, quam ipsius Philosophiae, sine qua vanum est omne juris criminalis studium, rationem habuisse videntur.

XXVI.

Cum ea sit rerum humanarum conditio, ut nihil ab omni parte perfectum, aut consummatum esse possit, facile intelligitur, nullam quoque civitatem, ne optimam quidem, adsidue stare & florere posse, nisi maxima cura, tamquam manus quaedam emendatrix (rectificeerzorg dicitur) identidem admoveatur.

XXVII.

Etsi luxus beatas plerumque urbes perdit, & evertit, est tamen quidam, moderatus ille & intra justos limites positus, qui non modo non nocet, sed communibus civium commodis quam maxime conducit. Quapropter, uti recte dixit PESTELIUS *Il. p.* 322. *asseri nequit, nullum posse luxum conjungi cum quadam parcimonia tempestiva, magnisque impendiis semper effundi pa-*

patrimonium, hæc potius societati prosunt, dum alunt eos, & nonnumquam locupletant, qui opera sua quæstum facere, quam aliena desides stipe nutriri malunt, hoc est, agricolas, opifices, mercatores.

XXVIII.

Notatu etiam digna sunt haec ejusdem Viri Cl. PESTELII verba: *suo robore niti semper conducit, sed non semper conducit, aliena valere imbecillitate, interest quandoque gentis, superesse gentem, quam æmuletur. Fervens studium populi alios populos debilitandi, ut illis ob virium inopiam timidis imperet, plerumque desinit in propriam debilitatem. Roma, dum Carthaginem delet, in ruinam prolabitur. Cum foris non haberet hostem, quem pertimesceret, domi invenit. ll. p.* 818. Culpandus itaque, magis quam laudandus est CATO Censorius, qui cum sententiam ~~illam~~ in senatu aliqua de re rogaretur, illud semper adjicere solitus erat: *Carthaginem delendam esse censeo.*

XXIX.

Quandoquidem mens et animus et consilium et sententia civitatis posita est in legibus, eaeque ad salutem civium, civitatumque incolumitatem vitamque hominum quietam et bea-

tam conditae ſunt, uti veriſſime CICERO ait in *Orat. pro A. Cluentio c.* 53 et *de Legg. L.* II. *c.* 5. laudabilia ſunt omnia istiusmodi inſtituta, quae ad curandas et tuendas leges pertinent. Hoc autem nomine maxime ſe commendat illud Athenienſium inſtitutum, quod ÆSCHINES Orator memorat, *in Orat. contra Cteſiph.* p. 430 *ed. Reisk.* ſecundum quod, quovis anno legum examen a Thesmothetis inſtituebatur, et diligentiſſime inquirebatur, num aliqua lex alteri esſet contraria, aut abrogata quaedam inter ratas locum haberet, aut plus esſet, quam una de eadem re ſancita.

XXX.

Quemadmodum tenerae arborum plantae, nisi diligentiſſime curentur, nullos utiles fructus proferre posſunt, ſic etiam infantes, niſi a teneris inde ad optima quaevis animi eorum informentur, et pulcri iis honestique ſenſus inſtilletur, cum adulti ſint, nihil quod in communem redundet civitatis utilitatem, producere posſunt. Qua de re egregie monuit PLATO. *Eutyph.* p. 2. C.





